Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 570. Ioannis Pap. Annus 11. Ivstini Ivn. Imp. Annus 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

[illegible]rem Lewigildum. Vnde opus eſt vt ex eodem Iſidoro [illegible] corrigas Iſidori deprauatum in eo Chronicon, cum ibi [illegible] ſubſtitui anno ſecundo Iuſtini vocatum ad regnum à fratre Lewigildum: vt quartus Iuſtini pro ſecundo [illegible] ponendus ſit annus. De perſecutione autem à Lewigil[illegible] aduerſus Catholicos excitata ſuo loco dicturi ſumus.

II. Hoc iterum anno ſub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege celebratum eſt in Gallicia Lucenſe Concilium, de quo perpauca hæc tantum monumenta haben[illegible], Ambroſij rerum Hiſpanicarum luculenti hiſtorici [illegible] nuper inuenta: *Tempore Sueuorum, ſub Æra ſexcenteſima ſeptima die Kal. Ianuarij, Theodomirus Princeps Sueuorum Concilium in ciuitate Luco fieri præcepit, ad confirmandum fidem Catholicam, vel pro diuerſis Eccleſiæ cauſis, &c.* quod inſu[illegible] ex aliis ſcriptis exordium, cum ſpectare co[illegible] ad ſecundum Lucenſe Concilium, de eo ſuo loco dicendum. In hoc autem actum rogatione Regis, vt noua inſtitueretur Metropolitana Eccleſia in Gallicia, quæ tamen eſſet ſubdita Bracharenſi: circumſcripti[illegible] in eodem Conuentu limites Lucenſis Eccleſiæ [illegible] de finibus cauendas. Ita plane incaluit recens [illegible] Catholici Regis fidei ardor, vt totus eſſet in his, quæ ſpectarent ad fidem Catholicam illuſtrandam, con[illegible] in Eccleſia pacem; curaritque ſumma diligentia Neophytus Princeps, quæ ſunt abſolutiſſimi ſacerdotis.

III. Quod vero ad res Orientales pertinet, hoc ipſo anno quarto Iuſtini Imp. Tiberius Comes Excubitorum, qui [illegible] Auguſtus creatus eſt, aduerſus Anares barbaros [illegible], eos vicit atque penitus debellauit, adeo vt eos[illegible] pacem ſubmiſſe petere ab Imperatore coëgerit. [illegible] apud Victorem Tunnenſem in Chronico: ſed & [illegible] meminit Corippus in carmine ad Iuſtinum his verſibus *a*:

[illegible] Anarum gens dura capillis
Horrida [illegible], crudiſq; aſperrima bellis
Imperio ſubiecta tuo ſeruare parata;
In media ſupplex diffuſis crinibus aula
[illegible] pacem, nec fidere millibus audet
[illegible] Romana laceſſere ſigna. Et infra.
[illegible] cecidit cum magna tuorum
[illegible] ſua: nunc marte peracto
[illegible] famulantur in aula. at hæc ſatis.

IESV CHRISTI
Annus 570.

IOANNIS PAP.	IVSTINI IVN. IMP.
Annus 11.	Annus 5.

I. SEptuageſimus ſupra quingenteſimum adeſt annus Domini, tertiæ Indictionis, idemque quintus Iuſtini Auguſti, qui & in ipſius conſtitutione annus *b* ſecundus poſt Conſulatum eiuſdem inſcribitur. Quo Appollinaris Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, vbi ſediſſet annos decem & nouem (ſecundum Nicephori Chronici rationem) ex hac vita migrauit. de quo non prætereant, quæ de ipſo apud Sophronium omni fide teſtata leguntur, cum contigit eum ſanctiſſimos viros ordinare Epiſcopos in Ægypto, quorum vnus è mortuis reſurrexerat. Res geſta ita deſcribitur *c* teſtificatione Zoſimi Cilicis magni anachoretæ:

II. *Narrauit autem nobis* (inquit) *& hoc ſenex, dicens: Ante annos viginti duos aſcendi in Porphyrilem, volens illic morari. Accepi autem & diſcipulum meum Ioannem mecum. Cum autem illuc veniſſemus, inuenimus duos anachoretas, manſimusq; prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata nomine Paulus, alter vero Melitinus nomine Theodorus (ex monaſterio fuerant Abbatis Euthymij) ſcribebant autem collabia ex pellibus bubalorum. Manſi autem illic ferme duos annos: diſtabamus ab inuicem quaſi duobus ſtadiis. Die autem quadam, cum ſederet Ioannes diſcipulus meus, percuſſit eum ſerpens, ſtatimq; defunctus eſt, ſanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur anguſtia exiſtens, abij ad anachoretas. Qui vt viderunt me turbatum & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid eſt, Abba Zoſime? mortuus eſt frater? Dico: Ita ſane mortuus eſt. Venientes igitur mecum, videnteſq; ipſum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contriſtari, Abba Zoſime: adeſt diuinum adiutorium. Vocanteſq; fratrem, dixerunt: Frater Ioannes ſurge: quia ſenex te opus habet: Continuoq; ſurrexit frater de terra. Quærentes autem beſtiam & inuenientes, tenuerunt eam, & in conſpectu noſtro illam in duas partes diſruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zoſime, vade in Sina. Deus vult tibi committere Eccleſiam Babylonis. Continuo itaq; receſſimus nos. Cumq; veniſſemus in Sina, Abbas miſit me & duos alios in miniſterium Alexandriam: tenenſq; nos Papa Alexandrinus beatiſſimus Apollinaris, omnes tres fecit Epiſcopos, vnum quidem Helsopoleos, alium Leontopoleos, me vero in Babylonem miſit.* hæc de facta ab Apollinare ordinatione Epiſcoporum. Porro idem Zoſimus abdicauit ſe poſtea Epiſcopatu, & in Sinæ monaſterium reuerſus eſt, vt idem auctor teſtatur *d*. In locum vero ipſius Apollinaris Epiſcopi Alexandrini ſubrogatus eſt Ioannes.

d Prat. ſpirit. c. 127.

III. Sane quidem frequẽtia fuiſſe miracula, quæ his temporibus Deus per Catholicos operabatur ad hæreſes deſtruendas, accipe ex relatione eiuſdem auctoris, cum ait *e*: *Dicebat ſenex quidam: Signa & prodigia vſq; hodie diuinitus in Eccleſia fiunt propter eas, quæ pullulauerunt & pullulant quotidie impias hæreſes, & maxime propter Acephali Seueri & cæterorum pernicioſa ſchiſmata, ad munimen ac firmitatem infirmarum animarum, atq; illorum ipſorum, ſi ita voluerint, conuerſionem. Propterea igitur à ſanctis Patribus & beatiſſimis martyribus ab initio fidei hodie fiunt mirabilia in ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* hæc quidem ſcite, vtpote quod peculiaris hæc ſit dos Eccleſiæ, neq; cuipiam extra Eccleſiam poſito aliquando conceſſum, vt vera miracula faciat. Glorientur licet hæretici de argumentorũ captioſitate, quam præſeferunt, inſultent licet in Catholicos contumeliis: numquam tamen oſtendere poſſunt ſuam ipſorum veris miraculis confirmatam eſſe perfidiam, Dei voluntate ſignis oſtenſa.

e Prat. ſpirit. c. 215. MIRACVLA CREBRA IN TESTIMONIVM FIDEI.

IV. At non prætereat de Apollinare Alexãdrino Epiſcopo illa his addere, quæ ipſius ſanctitatem commendent: Quod enim eius ingreſſus in Alexandrinum Epiſcopatum, pulſo Zoilo, viſus ſit Vigilio Romano Pontifici (vt dictum eſt) haud legitimus, ſed probroſus; rurſum vero ipſe vna cum Quinta Synodo, cui interfuit, cum fuerit æque receptus, purgata eſt labes intruſionis & inter germanos Alexandriæ Epiſcopos adnumeratus eſt, vt ergo eum oſtendamus magnæ quoq; fuiſſe virtutis; quæ de ipſo ex Sophronio narrata habentur, hic ſunt referenda: ſic enim ſe habent *f*:

f Prat. ſpir. c. 193.

V. *Narrauerunt nobis de ſancto Abbate Apollinare Alexandrino Patriarcha, quod valde fuerit miſericors & compaſſionis viſceribus affluens: cuius rei indicium id aſſerebant. Erat (aiebant) Alexandriæ iuuenis quidam, qui primarij ciuis dignitate atque diuitiis clariſſimi filius fuerat. Parentibus itaq; iſtius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro, quam in naualibus commerciis reliquerant, non ſatis feliciter & proſpere ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus eſt, cum neque gulæ, neque luxuriæ vacauerit (quæ ſolent diuitum exhaurire patrimonia) ſed in caſus varios atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentiſſimo pauperrimus eſt effectus; iuxta illud Pſalmiſtæ: Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Namq; adoleſcens quanto fuerat pecuniis ſublimior, tanto per inopiam inferior factus eſt.*

VI. *Hoc audiens beatus Apollinaris, videnſq; in quantum miſeriæ & paupertatis adoleſcens delapſus eſſet, cum parentes eius fuiſſent locupletiſſimi: miſeratus illius caſum, exiguum ipſi charitatis impendere voluit miniſtrando alimenta: ſed erubeſcebat, & quoties videbat illum, in ſecreto conſcientiæ ſuæ angebatur, cernens veſtem ſordidam & luridam faciem, quæ ſunt extremæ paupertatis indicia. Cum igitur huiuſmodi curis angeretur Pontifex, die quadam diuinitus inſpiratus, conſilium profecto mirabile adinuenit ipſius ſanctitati maxime conueniens. Accerſiuit itaque diſpenſatorem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, ſeorſumq; illum alloquens, dixit ei: Poteris mihi ſeruare ſecretum, domine*

diſpenſator? Qui ait. Spero, domine mi, in Filium Dei, qui quæcunque mihi intuleris, nemini dicam. Neque diſcet aliquis vnquam ex me, quod mihi ſeruo tuo aperueris. Tunc ait ad illum Epiſcopus Apollinaris: Vade & conſcribe chirographum quinquaginta librarum auri, quæ à ſanctiſſima iſta Eccleſia Macario illuſtri mercatori patri adoleſcentis dabantur, & appone teſtes & ſtipulationem & rogatum, & affer illud mihi.

VII. *Diſpenſator continuo quod ſibi fuerat à Pontifice iniunctum cum emulatione perfecit, attulitque chirographum, & dedit illi. Cum itaque pater adoleſcentis ante decem annos defunctus eſſet, chartaque chirographi noua videretur, ait illi Pontifex: Vade, domine diſpenſator, chirographum iſtud vel in tritico vel in hordeo abſconde, & poſt paucos dies affer illud ad me. Quod ille cum feciſſet, præfinito die chirographum retulit quaſi ſubobſcurum, deditque Pontifici. Tum ait ille: Perge modo, domine diſpenſator, & dicito adoleſcenti: Quid mihi daturus es, ſi tibi dedero chirographum magnæ pecuniæ quæ debetur tibi? Et cum nequaquam tria numiſmata ab illo accipias, & præbe illi chirographum. Reſpondens autem diſpenſator: Vere mi Domine, ſi iuſſeris, nihil accipiam. Dixit ei ille: Volo omnino vt tria numiſmata accipias. Perrexit autem ille ad iuuenem, ſicut ipſi iuſſum fuerat, & dixit ei: Dabis mihi tria numiſmata, ſi oſtendero tibi aliquid magnæ vtilitatis tuæ? Ille vero pollicetur illi, quicquid vellet, ſe daturum. Fingens autem diſpenſator ait illi: Ante quinque vel ſex dies euoluens inſtrumenta Eccleſiaſtica, repperi chirographum iſtud; & memini, quia Macarius pater tuus multum mihi confidens, ipſe in vitæ ſuæ diebus aliquot permiſit diſpenſaſque ipſo, cum igitur illud apud me vſque hodie maneret, ob liuionem cuiuſdam ereptum eſt mihi, nec vnquam venit in mentem, vt illud redderem tibi. Ait illi adoleſcens: Noſti quid perſona illa ſit locuples quæ debet? Dixit ei diſpenſator: Ita ſane, locuples & grata eſt, poteſque ab illa debitum ſine labore recipere. Dixit ei iunior: Nouit Deus quia modo nihil habeo. ſed ſi recepero, quod meum eſt, quicquid petiſti, dabo tibi, vltra etiam tria numiſmata.*

VIII. *Tunc dedit ei diſpenſator inſtrumentum quinquaginta librarum. Suſcepto itaque chirographo, perrexit ad ſanctum Pontificem, proſtratuſque ante cancellum, dedit ei chirographum. Cum ergo accepiſſet ille inſtrumentum ipſum, ait Epiſcopus, ſuſcipiens ipſum inſtrumentum oſtendere, dixit iuueni: Et vbi fuiſti vſque modo? pater tuus ante decem annos defunctus eſt, perge, nolo tibi nunc reſpondere. Qui dixit illi: Veraciter, domine mi, non ego illud habui, ſed diſpenſator illud habebat, & ego neſciebam: ſed Deus ipſe nos miſereatur, qui modo ipſum mihi reddidit, dicens, ſemper chartas ſuas domi inueniſſe. Pontifex vero illum interim remiſit dicens: Deliberabo mecum ſeruato apud me chirographo. Poſt vnam igitur hebdomadam redit ad Epiſcopum iunior, ne vnquam deprecabatur eum. Ille autem quaſi nihil ei velle dare, dicebat: Quare tantum diſſimulaſti proferre chirographum? Dixit illi adoleſcens: Mi Domine, ſcit Deus, quia non habeo vnde familiam meam nutriam: itaque ſi Deus inſpirat vobis, miſeremini mei. Tunc dixit illi S. Apollinaris, fingens ſe illius precibus cedere: Summam quidem integram ego tibi reſtituam: hoc autem obſecro, mi domine frater, ne à ſancta hac eccleſia vſuras exigas. Tunc procidens ille adoleſcens ait: Quicquid volueris & iuſſeris mihi Dominus meus, hoc faciam & ſi ex præcepto, à ſumma placet mi nuere aliquid minue. Dixit ille Epiſcopus: Non, ſufficit quidem: ſatis eſt ſi nobis vſuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta libras auri, dedit ei, & dimiſit eum, orantem pro vſuræ remiſſione. Hoc opus fecit vir Apollinaris, iſta ſancta illius ars atque miſericordia.* hæc tibi, hic appoſita ad Apollinaris ſepulchrum ornandum.

IX. PROGRESSVS LONGOBARDORVM IN ITALIA. Quod autem ad res Occidentalis orbis ſpectat, de proceſſu Longobardorum in cœptæ vaſtationem Italiæ Paulus diaconus agens ſub hoc anno tertiæ Indictionis, præter illa, quæ in deuaſtationem Venetæ prouinciæ ab iiſdem perpetrata eſſe ſuperius tradidit a, hæc poſtmodum hoc anno facta b addit: *Alboinus igitur Liguriam introeuntis, Indictione ingrediente tertia ad Nonas Septembris, ſub temporibus Honorati Archiepiſcopi Mediolanenſis ingreſſus eſt. Deinde vniuerſas Liguriæ ciuitates, præter eas quæ in littore maris poſitæ ſunt, cepit. Honoratus vero archiepiſcopus Mediolanum deſerens, ad Genuenſem vrbem confugit. Paulinus vero Patriarcha Aquileienſis vndecim annis ſacerdotio functus ex hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.*

a Paul. diac. de Geſtis Longobar. lib. 2. c. ... b Eodem lib. c. 24.

X. DE PATRIARCHÆ NOMINE. Quod vero ſit hic prima mentio de Patriarchatu Aquileiæ; vnde emerſerit iſtiuſmodi inauditum hactenus in Italia nomen, in qua præter Romanum Pontificem, neminem eiuſmodi titulo apud veteres reperies inſignitum, accuratius diſquiramus. Ad hæc autem primo illud dicendum occurrit, vſurpatum frequenter id ipſum nomen his temporibus reperiri pro Archiepiſcopo, nimirum, et qui ſub ſe alios haberet Epiſcopos, ſicut dictus eſſet Archiepiſcopus, item pariter ex vocis ſignificatione Princeps Patrum, & Græco nomine Patriarcha nominaretur. Sunt de his plura exempla: etenim Gregorius Turonenſis c Patriarcham appellat S. Nicetium Archiepiſcopum Lugdunenſem: id ipſum etiam habes in Concilio ſecundo Matiſconenſi, vbi idem Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus Patriarcha pariter appellatur. ſunt & de his alia plura teſtimonia. Conſtat præterea Arianos conſueuiſſe ſuos primarios Epiſcopos Patriarchas appellare, quod cum apud Victorem, tum apud Gregorium & alios vſurpatum inuenies: factumque eſt, vt & alij hæretici à Catholica communione diſceſſi, quem ſequerentur erroris principem, eumdem quoque dicerent Patriarcham, adhoc male vſurpato nomine Patriarchæ, quod olim Apoſtolicarum tantum ſedium conſueuit eſſe nomen ampliſſimæ dignitatis.

c Greg. Turon. hiſt. Franc. li. 5. c. 20.

XI. Cæterum quod ad præſentem cauſam ſpectat, non alio præterito tempore, ſed præſenti, cum videlicet Venetiarum & Iſtriæ Epiſcopi atque Liguriæ (vt vidimus ex epiſtolis d Pelagij Papæ) eſſent in ſchiſmate, Paulinuſque Aquileienſis his omnibus præemineret, placuit iiſdem ſchiſmaticis, qui ab Eccleſia Romana deſciuiſſent, illum ſibi loco Pontificis conſtituere ſupremum Antiſtitem, quem & Patriarcham nuncupauere. Hanc igitur putamus veram germanamque fuiſſe noui nominis cauſam: ab hac vero diuerſam neque quis poterit ſomniare, cum non antea, ſed tunc aucta ſit maioris dignitatis amplitudine Eccleſia illa, dum eſſet in ſchiſmate.

d Pelag. epiſt. 6.

XII. Sed ô mirabilis, ſicut & terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! Etenim in vltionem eorundem ſchiſmaticorum feros barbaros aduocauit, inque gladium eorum eos primum cum ſectatoribus ſuis tradidit conſumendos. An non ſunt hæc certa diuinæ vindictæ impreſſa veſtigia? cum ipſi primum ſchiſmati traditi ſint à Deo ore gladij deuorandi, & ante omnes ſchiſmaticorum latibula Aquileia, Mediolanũ, & aliæ Eccleſiæ dictarum prouinciarum captæ atque in prædam datæ Longobardis; Roma autem ipſa quamuis à Gothis ſæpe antea capta fuerit, à Longobardis licet inuadi, nimime tamen comprehendi potuerit? Habes igitur hæc de Aquileienſis Eccleſiæ Patriarchatus origine ex ſchiſmate deriuata: quod quidem nomen eidem retinere bono pacis permiſſum fuiſſe videtur, quo & ad præſens vtitur, ſedis Apoſtolicæ indulgentia. Pergit vero Paulus eiuſdem eccleſiæ diaconus: *Ticinenſis autem ciuitas per ea tempora vltra quatuor annos obſidionem perferens, ſe fortiter continuit, Longobardorum exercitu non procul ab ea in Occidentali parte reſidente. Interim Alboinus e ejectis militibus inuaſit omnia vſque ad Tuſciam præter Romam & Rauennam: & quædam caſtella, quæ erant in maris littore conſtituta. Nec erat tunc virtus Romanis vt reſiſtere poſſent: quia & peſtilentia, quæ ſub Narſete facta eſt, plurimos in Liguria & Venetia extinxerat, & poſt annum, quem diximus meræ vbertatis fuiſſe, fames nimia ingruens vniuerſam Italiam deuaſtauit.* hæc Paulus: cætera autem, quæ ſubdit, ſuo loco.

XIII. DE SYNODO TVRONENSI. Sed ad res Gallicanas inuiſendas tranſeamus. In Gallijs hoc tempore ob complures S. Epiſcopos, qui præerant diuerſarum prouinciarum Eccleſiis, vigebat magnopere Eccleſiaſtica diſciplina: nam & ſicubi ea collapſa reperiretur, eius ſtudio qui eam reſtituerent, excitabantur Epiſcopi. Hoc namque anno, qui ſextus Chariberti Regis numeratur, celebrata reperitur Synodus Turonenſis ſecunda decimoquinto Kalen. Decembris, vt ex eius Actis habetur expreſſum; nam ea ſexto anno ipſius Regis habita

dictam, cui etſi pauci numero interfuiſſe reperiuntur Epiſcopi, nempe octo tantummodo numerari; tamen ex iis viri ſanctitate celebres quatuor præter alios ſubſcripti habentur, adeoq; in ſacras Eccleſiæ tabulas relati, nempe qui primo loco ponitur Prætextatus Rhotomagenſis, Germanus Pariſienſis, Domitianus Catalaunenſis, atq; Domnulus Cenomanēſis, quorum omnium memoriam ſuis deſcriptam diebus annis ſingulis Eccleſia Catholica celebrare conſueuit. Verum quod inter eos non legatur ſanctus Euphronius hoc tempore Epiſcopus Turonenſis, eius videlicet loci, vbi Synodus eſt celebrata ſacer Antiſtes, neq; per vicarium ſubſcriptus reperiatur: inde exiſtimo ſeriem Epiſcoporū interciſam & minime integram ibi poni. Eius autem Synodi celebrandæ illa occaſio interceſſit, quod videlicet nonnullorum temeritate ſacri canones proculcarentur; pro quorum ſtabili firmitate ſanctiſſimi Patres illi ex aduerſo conſurgentes, pro muro ſe domui Iſraël oppoſuere, atq; viginti canones ſtatuerunt, quibus Eccleſiaſtica diſciplina collapſa reſurgeret, priſtinoq; nitore ſplendeſceret.

XIV. Inter alios vero ille obſeruatione dignus eſt canon, quo de aſſeruatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ita decernitur c: *Vt corpus Domini in altari non in imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur.* nempe vt digniorem ſibi vendicaret locum, ſtatutum eſt, vt non inter ſacras imagines ſuper altari poni ſolitas poneretur, ſed ſub ipſa Cruce, quæ in medio ipſius altaris collocari conſueuit. Scimus columbam argēteam alicubi his temporibus conſeruari conſueuiſſe Euchariſtiam; quod Synodus prohibuiſſe videri poteſt, dum prohibet, ne in imaginario collocetur ordine: ſicque videas non eſſe nouum, vt corpus Chriſti ſuper altare ſeruetur.

XV. His adiicimus de Fœlice Epiſcopo Bituricēſi, qui huic Synodo interfuit, tertioq; loco ſubſcripſit, ipſum perelegans aureum vas ad ſacratiſſimam Euchariſtiam conſeruandam turris inſtar fabrefieri curaſſe, quod Venantius Fortunatus eiuſmodi epigrammate celebrauit, cui præpoſita legitur hæc inſcriptio:

Ad Felicem Epiſcopum Bituricēſem in Turrim eius.

Quam bene iuncta decent, ſacrati vt corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant chryſolitis Salomonia vaſa metallis:
Iſta placere magis ars facit atq; fides.
Quæ data Chriſte, tibi Felicis munere ſic ſunt,
Qualia tunc tribuit de grege paſtor Abel:
Et quorum corda vides pietate coæquas
Par viduæ merito quæ dedit æra duo.

Vides igitur quanto honore conſueuerit Euchariſtia cuſtodiri ſuper altare ſub ſacratiſſima Cruce in pretioſiſſimo tabernaculo turris inſtar, quo nomine auctor in titulo ipſum appellat. Commendatur tamen à S. Hieronymo d S. Exuperius Toloſanus, qui tempore exundantiū barbarorum, ne iſtiuſmodi aurea ſacra vaſa cederent illorum rapinæ, ipſa conflarat in vſum pauperum, caniſtro vimineo & vitreo calice corpus Domini portans: Hæc occaſione canonis de loco Dominici corporis ea ſtatuimus.

XVI. Sed illud Chriſtianam magnam redolet pietatem, cum ad curam pauperum adhibendam iſta ſanxere Patres e: *Vt vnaquæq; ciuitas, pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires: vt tam vicini presbyteri, quā ciues omnes ſuum pauperem paſcant. Quo fiet, vt ipſi pauperes per ciuitates alias non vagentur.* Sed & de ieiuniis obſeruari ſolitis in monaſtica obſeruantia, deque pſallendi ordine in Eccleſia vſu recepto canones condiderunt. Inſuper aduerſus repullulantem Nicolaitarum hæreſim, qua ſacri miniſtri iam relictas reſumebant vxores, inuigilauit ſacerdotalis diligentia, ſuccidens eiuſmodi frutices Dei Eccleſiam occupantes, canone ſancito vigeſimo.

XVII. Inſuper & pluſimum iidem cognoſcuntur laboraſſe Patres aduerſus inceſtuoſos, quorum gratia vigeſimumſecundum canonem ſtatuerunt, in quo ex diuinæ Scripturæ locis allatæ ſententiæ, & diuerſorum Conciliorum diuerſi intexti ſunt canones. Et hoc quidem viſi ſunt ſtatuiſſe ſancti Patres ad corrigēdum ipſum Regem Charibertum tanto crimine labefactatum, vtpote qui ſororem coniugis ſibi nefarie copulaſſet, Marcoueſam ſcilicet Meroflendis vxorem. Sed quid accidit? Cum nec iſta remedia ipſi profuerint, paratumque à S. Patribus antidotum omnino reſpuerit; ab ipſo ſancto Germano Pariſiēſi Epiſcopo huius canonis vindice, cui ſubſcripſerat interpellatus, ſed non emendatus, fuit excommunicatione perculſus, vt Gregorius d ait, cum poſt turbines eiuſdem Regis recenſitas hæc addit: *Poſt hæc Marcoueſam Meroflendis ſcilicet ſororem coniugio copulauit: pro qua re à S. Germano Epiſcopo excommunicatus vterq; eſt, ſed cum eam Rex relinquere nollet, primum illa percuſſa iudicio Dei obiit: nec multo poſt & ipſe Rex poſt eam deceſſit Charibertus.* quod contigit poſt ſequentem annum, quo agemus de eodem pluribus. d Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 4. cap. 26.

XVIII. Quod autem ab iiſdem additum eſt e ſanctis Patribus, vt præter S. Ambroſij hymnos alij etiam in Eccleſia canerentur: ni fallor eiuſmodi ſanciendæ legis cauſam dediſſe exiſtimo hymnos Venantij Fortunati, quos (vt dictum eſt) haud pridem de ſancta Cruce cecinerat: quos & ſcimus fuiſſe ab Eccleſia receptos, atq; hactenus pie ſanctēq; concini ſolitos. e Conc. Turon. 2. c. 24.

XIX. Rurſum vero quod exciſæ ſemel atque iterum ſpinæ illæ in agro Dominico, adhuc magno damno è maledictis radicibus foras emergerent: fuit in his denuo ſuccidendis ſanctis Patribus laborandum. Acciderat enim, vt frequentium occaſione bellorum, cum non eſſet amplius in regiis theſauris, vnde Princeps ſatisfaceret militantibus, bona Eccleſiæ iidem inuaderent, ea à Rege petentes, vel ſponte eadem vſurpantes. Ad hęc igitur reprimenda penituſq; tollenda diuino pollentes Spiritu patres iſta decreuerunt f: f Conc. Turon. 2. c. 25.

XX. *Illud quoque quamquam canonica ſit auctoritate præfixum; quo dum intra ſe ſæuiunt domini noſtri,* Reges Francorum ſcilicet, *ac malorum hominum ſtimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit: ne iſta caduca actione, quæ inter ſe aguntur, Eccleſiaſtica rura aut contaminare præſumant, inuiolabiliter obſeruandum cenſemus: Vt quicunque tam Eccleſiæ, quam Epiſcopi res proprias, quæ & ipſa Eccleſiæ noſcuntur eſſe, quas Pontifex actoribus Eccleſiæ dignoſcitur aſſignaſſe, vel Abbatum, aut monaſteriorum, ſiue presbyterorum quaqua temeritate peruadere, competere, vel confiſcare præſumpſerit: Tunc reſeruato correctionis hoc loco adhuc presbyter eiuſdem Eccleſiæ, cuius intereſt, peruaſorem conuenit admonere: & ſi reſtitutionem diſtulerit: adhuc quaſi filius ab omnibus fratribus ad reddendum, miſſis epiſtolis, compellatur. Qui ſi pertinaciter in peruaſione perſtiterit, & ſe tollere poſt tertiam commonitionem de re illa aut Eccleſiæ, aut propria noluerit: conuenit omnes omnino cum conuenientia ſimul cum noſtris Abbatibus ac presbyteris, vel clero, qui ſtipendiis ex ipſo alimento paſcuntur (quia arma nobis non ſunt alia) adiuuante Chriſto, circumſepto cleritali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Eccleſiæ, Pſalmus centeſimus octauus dicatur, qui incipit: Deus meus laudem meam ne tacueris, &c. vt vero ſit ſuper eum illa maledictio, quæ ſuper Iudam g venit, qui cum loculos ferret *, ſubtrahebat pauperum alimentum: vt non ſolum excommunicatus; ſed etiam anathema moriatur, & cæleſti gladio fodiatur, qui in deſpectu Dei & Eccleſiæ & Pontificum in hac perſuaſione præſumit aſſurgere.* hæc de his Patres, qui & eidem ipſorum inſtituto canoni ſubiiciunt alium ante (vt dictum eſt, eadem ex cauſa contra eoſdem in Concilio Pariſienſi ſancitum; nihil penitus omittentes, quo eiuſmodi cohiberent rerum Eccleſiæ inuaſores. Cæterum compluribus fuit declaratum exemplis, maledictionem illos ſequi non deſinere, qui res Eccleſiæ inuaſere, diuinituſque vindictam immitti in eiuſmodi delinquentes: quæ quidem cum ſuis locis opportune ſcripſerimus, hic vel vnum ex iis, quod ratio exigat argumenti) reddere minime prætermittimus. Accipe igitur, quæ eodem ferme tempore ibidem in Gallia Gregorius accidiſſe narrat his verbis h: g Ioan. 13. * faceret h Greg. de gloria martyr. l. 2. c. 17.

XXI. *Fuit etiam quidam diaconus, qui, relicta Eccleſia, Fiſco ſe publice iunxit; acceptaq; à patronis poteſtate, tanta perpetrabat,*

vt vix

vt vix poſſet à vicinis circumpoſitis ſuſtineri. Accidit autem quadam vice, vt ſaltus monteuſes, vbi ad æſtuandum oues abierant, circumiret, atq; paſcuaria, quæ Fiſco debebantur, inquireret. Cumq; diuerſos ſpoliaret iniuſte, conſpicit eminus greges, qui tunc ſub nomine martyris Iuliani tuebantur: ad quos leui curſu volans, tamquam lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti paſtores ouium dicunt ei: Ne, quæſumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Iuliani dominio ſubiugati ſunt. Quibus ille hæc irridens reſpondiſſe fertur: Putas ne, quia Iulianus comedit arietes? De hinc ipſis verberibus affectis, quæ valuit, abſtulit, ignorans miſer, quod qui de domibus Sanctorum aliquid aufert, ipſis Sanctis iniuriam facit, ipſo ſic Domino proteſtante. Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui recipit iuſtum, mercedem iuſti accipiet. Sed ne immiſſa in ſacrilegum vltio aliqua alia ex cauſa vel caſu accidiſſe à quolibet fingi poſſet: delectus eſt ad ſupplicium locus & modus, vt vindicta diuinitus illata fieret manifeſtior. Verum quomodo id acciderit, audi: ſubdit enim:

XXII. *Contigit autem, vt poſt dies multos, non religione, ſed caſu conferente, ad vicum Briuatenſem diaconus properaret; prouectusq; homo ante ſepulchrum martyris, mox à febre corripitur, & tanta vi caloris opprimitur, vt neque conſurgere, neque puerum euocare poſſet. Famuli vero cum vidiſſent eum extra ſolitum plus procumbere accedentes: Quid tu, inquiunt, in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi tam longus mos erat orandi, aut deuotio. Ferebant autem de eo, quod quando quidem in Eccleſiam fuiſſet ingreſſus, paruper immurmurans, nec capite inclinato, egrediebatur. Tunc interpellantibus pueris, cum reſponſum reddere non valeret, ablatus manibus è loco, in cellam, quæ erat proxima, lectulo collocatur. Igitur inualeſcente febre proclamat ſe miſerum incendi per martyrem. Et quod prius ſiluerat, admotis animæ iudicij facibus, crimina confitetur; iactarique ſuper ſe aquam, voce qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque in vaſculo lymphis, & in eum ſæpe deiectis, tamquam de fornace, ita fumus egrediebatur è corpore. Interea miſeri artus ſeu combuſti, in nigredinem conuertuntur: vnde tantus procedebat fœtor, vt vix de aſtantibus poſſet aliquis tolerare. Inuenis enim dehinc manu, indicat ſe eſſe leuiorem. Mox illis recedentibus, hic ſpiritum exhalauit. De quo haud dubium eſt qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali deceſſit iudicio.* hæc Gregorius, occaſione canonis Concilij Turonenſis à nobis relati, quo Patres diuinam vltionem aduerſus huiuſmodi facinoroſos implorandam eſſe putarunt. At quomodo & in ipſum Regem peruadentem bona ſancti Martini dira vindicta ſecuta ſit, dicemus inferius in eius obitu. Sed de Turonenſi Concilio hactenus.

XXIII. CONCILIVM LVGDVNENSE PRIMVM. Hoc eodem anno, qui pariter ſextus numeratus Guntheramni Francorum Regis, celebrata reperitur Synodus Lugdunenſis, quæ prima earum, quæ reperiuntur, dicta inuenitur; cui interfuerunt Epiſcopi quatuordecim, eorumque aliqui per legatos: ſtatutique in eadem ſex canones reperiuntur, quibus Eccleſiaſticæ paci atque indemnitati conſulitur, appoſite quidem ob ſcandala à quibuſdam malis Epiſcopis nunc illata. Quænam autem iſta fuerint, ex Gregorio Turonenſi ita accipe a: *Contra Salonium (inquit) Sagittariumq; Epiſcopos tumultus exoritur: hi enim à S. Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo educati, diaconatus officium ſunt ſortiti: huiusque tempore Salonius Ebredunenſis vrbis, Sagittariusque Vapingenſis Eccleſiæ ſacerdotes ſtatuuntur. Sed aſſumpto Epiſcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in peruaſionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuerſiſque in ſceleribus inſano furore graſſari: ita vt quodam tempore celebrante Victore Tricaſſinorum Epiſcopo ſolemnitatem natalitij ſui, emiſſa cohorte, cum gladiis & ſagittis irruerent ſuper eum: venientesque ſciderunt veſtimenta eius, miniſtros cæciderunt, vaſa & omnia ad apparatum prandij auferentes, relinquentes Epiſcopum cum grandi contumelia. Quod cum Rex Guntheramnus comperiſſet, congregari Synodum ad vrbem Lugdunenſem iuſſit. Coniunctiq; Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſſis cauſis, inuenerunt eos de his ſceleribus, de quibus accuſabantur, valde conuictos. Præceperuntq; vt qui talia commiſerant, Epiſcopatus honore priuarentur. At illi cum adhuc propitium ſibi Regem noſſent, ad eum accedunt, deplorantes ſe iniuſte remotos: ſibiq; tradi licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis, eos abire permiſit.* Vigebat his etiam temporibus (vti ſemper viguit) vſus ille à quouis Concilio ad ſedem Apoſtolicam appellandi: quod & hi feciſſe noſcuntur; de quibus pergit Gregorius hæc dicere:

XXIV. *Qui accedentes, coram Papa Ioanne exponunt ſe nullis rationis exiſtentibus cauſis dimotos. Ille vero epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui iubet. Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis verbis multis, impleuit.* Vides ne, lector, quantam reuerentiam exhibuerint Reges atque Epiſcopi ſententiæ Romani Pontificis, vt quamuis iidem videri potuiſſent iniuſte reſtituti eſſe, quos Synodus iuſte damnaſſet, parere tamen ipſi minime prætermiſerint? *Sed nulla* (ſubdit Gregorius) *quod eſt peius, fuit emendatio ſubſecuta. Tamen Victoris Epiſcopi pacem petierunt, traditis hominibus, quos in ſeditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro bonis *, nihil his mali faciens, liberos abire permiſit: vnde in poſterum à communione ſuſpenſus eſt, pro eo, quod publice accuſans, clam inimicis pepercisſet abſque Conſilio, quibus accuſauerat, fratrum.* hæc de his, quæ ſpectant ad Concilium Lugdunenſe hoc anno tempore Ioannis Papæ celebratum. Porro de iiſdem Epiſcopis hæc ſuperius idem Gregorius b, dum agit de bello Longobardorum aduerſus Burgundiones: *Fueruntq; in hoc prælio Salonius & Sagittarius fratres atque Epiſcopi, qui non cruce cæleſti muniti, ſed galea atq; lorica ſeculari armati, multos manibus propriis (quod peius eſt) interfuiſſe referuntur.* hæc tunc primum ſunt monſtra cœpta videri, vt loricati Epiſcopi militarent.

XXV. Hoc anno Liuba Rex Gothorum in Hiſpania, ipſo regni ſui anno tertio moritur: ſicque Lewigildus eius germanus in collegam antea aſcitus; ſolus vniuerſo potitur regno. Quo pariter anno defunctus Theodomirus Sueuorum Rex Catholicus, maximeque pius, filio Ariamiro, quem precibus S. Martini ex diuturno atque grauiſſimo morbo ſanum acceperat, vna cum pietate regnum pariter reliquit: de quo hic deſcribenda putauimus, quæ Gregorius Turonenſis rudi licet ſtylo, veritatis tamen fulgore coruſco poſteris tradidit hiſce verbis c: *Et quia Florentiani Maioris memoriam fecimus: quid ab eo didicerim, nefas puto taceri. Tempore quodam cauſa legationis Gallias adiit, atque ad Mironis Regis præſentiam accedens, negotia patefecit iniuncta. Erat enim eo tempore Miro Rex in ciuitate illa, in qua deceſſor eius baſilicam ſancti Martini ædificauerat, ſicut in libro primo huius operis expoſuimus. Ante huius ædis porticum vitium camera extenſa per traduces dependentibus vuis quaſi picta vernabat. Sub hac enim erat ſemita, quæ ad ſacras ædis valuas peditem deducebat. Cumque Rex ſub hac præteriens camera hoc templum adiret, dixit ſuis: Cauete ne contingatis vnum ex his botrionibus, ne forte offenſam Sancti eius incurratis. Omnia enim, quæ in hoc habentur atrio, ipſi ſacrata ſunt.*

XXVI. *Hoc audiens vnus puerorum, ait intra ſe: Vtrum ſint hæc huic ſancto conſecrata, annon, ignoro: vnum ſcio, quia deliberatio animi mei eſt de his veſci. Et ſtatim iniecta manu, cœdam botrionis cœpit incidere: protinusque dextera eius adhærens cameræ, arente lacerto, diriguit. Erat autem mimus Regis, qui ei per verba ioculatoria lætitiam erat ſolitus excitare: ſed non eum adiuuit cachinnus aliquis, neque præſtigium artis ſuæ; ſed cogente dolore, voces dare cœpit, ac dicere: Succurrite, viri, miſero: ſubuenite oppreſſo, reſignate appenſum, & S. Antiſtitis Martini virtutem deprecamini, quia tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali inciſione diſtringor. Egreſſus quoque Rex, cum ea, quæ acta fuerant, didiciſſet, tanto furore contra puerum eſt accenſus, vt eius manum vellet incidere, ſi à ſuis prohibitus non fuiſſet. Dicentibus tamen præterea famulis: Noli, ò Rex, iudicio Dei tuam adiungere vltionem, ne forte iniuriam, quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus corde, ingreſſus baſilicam, proſtratus coram ſancto altari, cum lacrymis preces fundit ad Dominum, nec antea à pauimento ſurrexit, quam flumen oculorum huius paginam delicti deleret. Quo à vinculo, quo nexus fuerat,*

absolu-

a Greg. Turon. in hiſt. Franc. lib. 5. cap. 20.

* mala

b Greg. hiſt. lib. 4. [illegible]

c Greg. [illegible] S. Martini lib. 4. c. [illegible]

Baſilicam in Eccleſiam ingreſſus, Rex eleuatus è ſolio: & ſic recedentes omnes ſamulorum palatium repetiuit. Teſtatur autem Maior prædictus hoc ſe ab ipſius Regis relatione, ſicut actum narratur, agnouiſſe, hucuſque Gregorius. Hiſce Deus mirabilis recens credentem Regem voluit admonuiſſe, quod non ſine diuina vltione peccant, qui vel minimum quippiam ex rebus Eccleſiæ auferunt, quæ vel ſeruientium vſui, vel pauperum alimoniis ſunt deſtinatæ. Quocirca idem Rex paterno exemplo duo Concilia, Bracharenſe videlicet atque Lucenſe congregauit, ſuo loco dicemus.

IESV CHRISTI
Annus 571.

IOANNIS PAP. Annus 12. IVSTINI IVN. IMP. Annus 6.

Adeſt annus Domini quingenteſimus ſeptuageſimus primus, quartæ Indictionis: quo Alboinus Longobardorum Rex, vbi regnaſſet in Italia annos tres & menſes ſex, Kalendis Octobris moritur, cum paulo ante Ticinenſem ciuitatem per tres annos & amplius obſeſſam cepiſſet. Quod autem tunc admiratione dignū accidit, à Paulo diacono ita accipe *a*: *At vero Ticinenſis ciuitas per tres annos & aliquot menſes obſidionem perferens, tandem ſe Alboino tradidit & obſidentibus Longobardis. In quam cum Alboinus per portam, quæ dicitur ſancti Ioannis ab Orientali vrbis parte introiret; equus eius in portæ medio concidens, quamuis calcaribus ſtimulatus, quamuis hinc inde à Stratorio verberibus cæderetur, non poterat eleuari. Tunc quidam de Longobardis ita Regem allocutus eſt: Memento domine Rex, quale votum vouiſti: frange tam durum votum, & ingredieris in vrbem. Vere enim Chriſtianus eſt populus in hac ciuitate. Siquidem Alboinus vouerat, quod vniuerſum populum, qui ſe dedere noluerat, gladio extingueret. Qui poſtquam tale votum diſrumpens, veniam promiſit, mox equus ſurgens, ciuitatem ingreſſus, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Theodericus conſtruxerat, concurrens poſt tantam miſeriam, de ſpe iam fidens cœpit animum ad meliora futura leuare. Qui Rex poſtquam in Italia tres annos & ſex menſes regnauerat, inſidiis ſuæ coniugis peremptus eſt,* quomodo autem id acciderit, pluribus ipſe narrat his verbis *b*:

Cauſa autem eius interfectionis huiuſmodi fuit. Cum in conuiuio vltra quam oportuerat, apud Veronam lætus reſideret, cum poculo, quod de capite Chunimundi Regis ſui ſoceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam vt cum patre ſuo lætanter biberet, inuitauit. Hoc ne cui videatur impoſſibile: veritatem in Chriſto loquor: ego hoc poculum vidi in quodam die feſto Ratchis Principem, vt illud conuiuis ſuis oſtentaret, manu tenentem. Igitur Roſimunda (id erat vxori Alboini Regis nomen) *vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris cadem vindicatura exarſit: conſilioque mox cum Helmige, qui Regis ſcilpor, id eſt, armiger & collactaneus* * *erat, vt Regem interficeret, iniit. Qui Reginæ ſuaſit, vt Peredeum, qui erat vir fortiſſimus, in hoc conſilium adſciſceret.*

*Cum vero Peredeo Regina ſuadenti tantum nefas conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuæ veſtiariæ, cum qua Peredeus ſtupri conſuetudinem habuerat, ſuppoſuit: Vbi Peredeus inſcius ſtultè cum Regina concubuit. Cumque illa, patrato iam ſcelere, ab eo quæreret, quã ſe eſſe exiſtimaret: & ipſe nomen ſuæ amicæ, quã eſſe putabat, nominaſſet, Regina ſubiunxit: Nequaquam eſt vt putas, ſed ego Roſimunda ſum. Certe nunc, Peredee, rem talem perpetraſti, quod aut tu Alboinum interficies, aut ipſe te ſuo gladio extinguet. Tunc ille intellexit malum, quod fecit; & quod ſponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus aſſenſit. Tunc Roſimunda, dum ſe Alboinus in meridie ſopori dediſſet: magnum in Palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari poſſet, fortiter colligauit, & iuxta conſilium initum Peredeum & Helmigem** *interfectores, omni beſtia crudelior, introduxit. Alboinus ſubito de ſopore experrectus, malū quod imminebat intellegēs, manū citius ad ſpatham porrexit, quam ſtrictius ligatam cum trahere non valeret, apprehenſo ſcabello ſuppedaneo, ſe per aliquod tempus defendit. Sed heu, proh dolor! vir bellicoſiſſimus & ſummæ audaciæ, nihil contra hoſtem prævalens, quaſi vnus de inermibus interfectus eſt. vniuſque mulierculæ conſilio periit, qui per tot hoſtium ſtrages in bello fortunatiſſimus extitit.* hic finis Regis Longobardorum, qui inuaſit Italiam, & tot malorum, quæ ſunt ſubſecuta, primus extitit auctor. Subdit vero Paulus diaconus de fuga Roſimundæ ad Romanos Rauennam cum Helmige, ſimulque cum Longobardorum Regis theſauro. Sed quæ vtrumque ſint conſecuta mala Roſimundam & Helmigem, ab eodem ſic breuiter accipe:

IV. ROSIMVNDÆ REGINÆ ET HELMIGIS OBITVS. *Tunc Longinus Præfectus* (*erat is miſſus ab Imperatore Hexarchus, morabaturque Rauennæ*) *ſuadere cœpit Roſimundæ, vt Helmigem interficeret, & ipſius ſe nuptiis copularet. Illa vt erat ad omnem nequitiam facilis, cum affectaret Rauennatium domina fieri, ad tantum facinus perpetrandum aſſenſum præbuit: atque dum Helmigis ſe in balneo ablueret, egredienti mortis poculum, quod ſalutare aſſeruit, propinauit. Ille vbi ſenſit ſe mortis poculum bibiſſe, Roſimundam* (*euaginato gladio ſuper eam*) *quod reliquum erat, bibere coegit, Sicque omnipotentis Dei iudicio Regis interfectores nequiſſimi vno momento perierunt.* hucuſque Paulus: quibus vidiſti repræſentatam de Rege atque Regina tragœdiam: ita plane agente Deo vindice, vt qui innoxios populos crudeli cæde depaſcerent, in ſe ipſos ſuam ipſorum ſæuitiam retorquerent. Succeſſit poſt Alboinum Clephis Rex, tenuitque regnum annum vnum & menſes quinque. CLEPHIS REX LONGOBARD. Corrigendus vero textus Gregorii Turonenſis eſſe videtur, vbi præter omnium ſententiam Alboinum regnaſſe in Italia tradit annos ſeptem: ab ipſa enim Gregorii Papæ ſententia de tempore aduentus Longobardorum diſcrepare cognoſcitur, quam duabus ipſius teſtatam epiſtolis ſuperius propoſuimus.

V. Sed de propagatione Longobardorum in Italia regni diuinum admirare conſilium, quod manifeſte declararunt euentā, Deum permiſiſſe eiuſmodi feros barbaros potiri Italia, vt eius dominio Orientales exueret Imperatores quibuſuis barbaris aduerſus Romanos truciores: ſicque tandem fieret, vt excuſſa Græcorum tyrannide, & vendicata à Francis cum Vrbe Italia, eadem magna ex parte cederet Romano Pontifici: ita ſuauiter Deo ex more cuncta diſponente, qui ſemper maiores Eccleſiæ clades maioribus conſueuit compenſare prouentibus, ſicut & Eccleſiæ ipſius nomine cognoſcitur occiniſſe Propheta, dum ait *c*: *In tribulatione dilataſti mihi.* cum & conſilium illud Græcorum euanuit, quo deprimere Romanam Eccleſiam diutius laborarunt, reddita illa magis magiſque ex ipſorum cladibus ampliore. *c Pſal. 4.*

IESV CHRISTI
Annus 572.

IOANNIS PAP. Annus 13. IVSTINI IVN. IMP. 7. Annus 7.

I. IOANNIS PAPÆ OBITVS. Qvingenteſimus ac ſeptuageſimus ſecundus Domini annus quintæ Indictionis adeſt: quo Ioannes Papa, vbi ſediſſet annos tredecim, minus diebus quatuordecim, moritur tertio Idus Iulii, vt ex Anaſtaſio admonemur, qui de eodem hæc habet: *Hic ampliauit & reſtaurauit cœmeteria ſanctorum martyrum. Hic conſtituit, vt oblationes, & amulæ vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur. Hic perfecit eccleſiam ſanctorum Philippi & Iacobi, & dedicauit eam.* & in fine. *Eodem tempore Ioannes Papa & ipſe mortuus eſt, & ſepultus eſt in baſilica S. Petri Apoſtoli tertio Idus Iulias. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros triginta octo, diaconos tredecim, Epiſcopos per diuerſa loca numero ſexaginta & vnum. Ceſſauit Epiſcopatus eius menſes decem, dies tres,* hæc Anaſtaſius. De ſubrogatione igitur ſucceſſoris agemus ſuo loco anno ſequenti. Extat eiuſdem Ioannis epiſtola reſpondentis ad conſultationem Archiepiſcopi Viennenſis, cuius datæ cum non ſit certus annus, vt ſuo loco collocari potuiſſet, hic illam ponemus: ſic enim ſe habet *d*.

d Bibl. Flor. edit. à Io. à Boſco Cel. part. ult. pa. 4.